

CAPITVLVM XLV.

An hodie post Concilium Tridentinum matrimonium possit contrahi valide per literas?

S V M M A R I V M.

- 1. Matrimonium attentio Iure communi ante Concilium Tridentinum poterat celebrari per literas, & per epistolam, validumque erat: & quid hodie post Concilium Tridentinum, numero secundo, & sequentibus.
2. Consensus simul utriusque contrahentium ad valorem matrimonij, an sit necessarius praesentibus, absque temporis intervallo, necne?

Matrimonium ante Concilium Tridentinum, attentio Iure communi, proculdubio poterat celebrari per literas, & per epistolam, validumque erat, iuxta glossam in cap. nec illud, verbo vxor 30, quaestione 5. Felin. in ca. ex parte Decani, numero 10, de rescriptis, refert plures D. Couar. in quarto de sponsalib. secunda parte, cap. 4. in princip. numero 11, sequitur Dominicus a Soto in quarto, distinctione 27, quaestione 1, articulo 3, versio, at vero quamvis post Scotum ibi: quest. 2, in fine: Nauar. lib. 4. consil. in prima editione, consil. 2, numero nono, & in secunda consil. 6, num. 9, de cognatione spirituali, & plures citans Didacus Perez in 1. prima, titulo 1, lib. 5. Ordinamentum, pagina 2, in versu, quid autem sit in matrimonio, Matienco rubrica glossa 1, numero 32, titulo 1, lib. 5. nona collect. Reg. Molina Theologus secundo tom. de Iustitia, & Iure, disputatione 254, in princip. Vega lib. 4. sua summa casu 204, quorum plures post Concil. Trident. scripserunt, Thom. Sanchez lib. 2. de matrimonio, dispart. in princip. & alii communiter DD.

Quod modo sciendum est, & oportet, an hodie stante Sacrosancto Concil. Trident. sessione 24. cap. 4. de reformatione matrim. ibi: qui aliter, quam praesente parochio, &c. matrimonium per literas, siue epistolam coram parochio, & testibus valide contrahi possit: & pars affirmatiua certa esse videtur, sicut valet celebratum per procuratorem coram parochio, & testibus post Trident. Conc. vt resoluimus sup. c. 43. Primo, quia ratio finalis Conc. Trident. irritantis matrimonia clandestina (vt patet in d. cap. 1. in princip.) est, vt notum sit Ecclesiae matrimonium, probarique possit, ne aliud publice, & aliud occulte celebratur, sed quando celebratur per procuratorem, vel literas coram parochio, & testibus probari potest, & sequitur finis intentus: ergo, &c. Secundo, quia etiam in nostra specie concurrunt alia ratio Concilij Tridentini, ne scilicet celebratur matrimonium ab alio, quam a proprio parochio, Tertio, vt euitemus Iuris communis correctionem, quae in dubio euitanda est, iuxta iura vulgaria. Quarto, quia plures DD. qui post Concilium Tridentinum scripsere adhuc docent matrimonium per literas, vel epistolam contrahi, & celebrari posse, si agitur hoc per Concilium Tridentinum consensum esse correctum, hoc simpliciter non dixissent: & in terminis hoc incidenter voluit, dixit ac expressit Ludouicus Lopez in secunda parte Instructoris de matrimonio ca.

pit. 35. folio 1027, columna secunda, & tenet expresse Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 2. numero 6. & esse probabiliter asserit Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio, disputatione 22, numero 3, exemplificando duos casus, in quibus, celebrato per epistolam matrimonio potest utriusque consensus coram parochio, & testibus praestari: primus est, quem posuit Enriquez vbi supra, si epistolam mittens scribat se non solum facere sui corporis traditionem, sed ex tunc traditionem per aliterum sibi faciendam accipere: tunc enim, si epistola lecta coram parochio, & testibus, alter consentiat, iam utriusque traditio, & acceptatio fit coram eodem parochio, & testibus. Secundus casus est, quem dicit in nemine inuenisse, si recipiens epistolam rescribat mittenti, se accepisse literas, in quibus vult ipsum in coniugem, & similiter ipsum velle: tunc enim si hac epistola rescripta lecta coram parochio, & testibus, recipiens coram illis consentiat, iam mutua acceptatio, & traditio constat parochio, & testibus, quia illa epistola continet traditionem referentis, & acceptationem traditionis facta a priore mittente, & prior mittens se tradit, & acceptat coram parochio, & testibus, quibus fit, vt matrimonium per literas sic solenniter celebratum, sit etiam sacramentum, vt celebratum per procuratorem, ita Sanchez vbi supra nu. 4.

Rursus pro contraria parte, & sic negatiua facta quia videtur esse magnum discrimen inter matrimonium per procuratorem celebratum, & per literas post Concil. Trident. quia quando celebratur per procuratorem, pars mittens eum censetur praesens matrimonio, & consentit per suum procuratorem praesentem, quia, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur, iuxta regulam iuris notoriam: & Concilium Tridentinum requirit praesentiam personalem ad consensum legitimum praestatum matrimonio, vnde potest praestari per procuratorem coram parochio, & testibus: at, quando matrimonium fit per literas modis de quibus supra, nulla adest persona praesens, quae tunc pro absente mittente consensum praestet, sed tantum adiunctio eius literarum, vel epistola abique Persona alio pro absente, & matrimonium non efficitur tempore, quo absens consentit in literis, sed tempore, quo coram parochio, & testibus praestatur consensus ab utroque, vt patet in Concilio Trident. supra citato, ibi vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium coniungo, &c. Sed tunc non adest absens, nec eius procurator, qui consentiat eo tempore, ergo nullum est matrimonium per literas, vel epistolam celebratum, iuxta idem Concilium, ibi, qui aliter, &c. Secundo pro hac parte facit, quia hic modus celebrandi matrimonium per literas post Concilium Tridentinum non est in vtu, nec praxis Ecclesiae cum recepit, quod sciam: ergo sic contrahens, saltem se exponit dubio, & periculo in re tam graui, an matrimonium sic contractum sit validum, necne? Cum tamen sit expeditum, quod per procuratorem legitimum possit etiam post Concil. Trident. celebrari matrimonium, vt supra resoluimus, dicto cap. hoc quia medium pro absensibus est facilitum, & in terminis hanc partem negatiuam tenet, & probat Petrus de Ledesma de matrimonio, quaestione 45, articulo 3, dubio ultimo, ad primum, folio mihi 160, & Bartholomaeus de Ledesma de matrimonio dubio 18, folio 1286, Manuel Rodriguez in primo tomo sine Summa in secunda editione, caput. 216, numero 1, & cap. 220, numero tertio, & in hanc partem magis inclinat, quamuis dubius, Alphonsus a Veracrucis in appen-

appendice ad Speculum coniugiorum, dubio tertio, in fine, prout eos refert Thomas Sanchez vbi supra, numero secundo, quamuis eam non probet, sed affirmatiuam, vt praediximus: quid teneamus?

Mihi videtur, decisionem huius quaestiones dependere ab illa, an necessarium sit ad valorem matrimonij utriusque contrahentium consensum simul absque temporis intervallo praestari, necne? In primo namque casu, non valet matrimonium per literas, siue per epistolam, in secundo vero teneat, siquidem per literas exprimitur consensus scribentis, & acceptatio referentis, & coniungitur mutuo consensus utriusque, & de hac secunda quaestione, ex qua diximus dependere decisionem principalis quaestionis, de qua in hoc cap. agimus, late disserit in vtramque partem Thomas Sanchez lib. secundo de matrimonio, disputatione 32, numero secundo, cum sequentibus, vbi d. numero secundo refert fundamenta, & nonnullos Auctores partis affirmatiuae, nempe necessarium esse consensum utriusque coniugis simul tempore praestari: & numero tertio inquit, quod secunda sententia multo probabilior ait, id non requiri, sed satis esse temporis mora intercedente consensus ab utroque praestari, modo consensus prioris coniugis reuocatus non sit, idque duobus modis comprobatur, & refert Diuus Thomas, & quamplurimos Theologos, & Iuristas hanc sententiam tenentes, estque receptissima, & tenenda pro vera proculdubio, attento Iure communi, & numero quarto addit, quod si altero non statim consentiente, prior, qui concesserat, affirmet, se consensum reuocasse, credendum erit ei, secundum Antonium in cap. si miter, numero quarto, de sponsal. inquit praeterea Sanchez vbi supra, numero septimo, cum quampluribus Aucthoribus contra Maior, & Nauar. exigi simultatem moralem, ita, vt non magnum interuallum interueniat, & alterius consensus distet, quod arbitrio prudentis relinquatur attentis particularibus circumstantiis secundum Petrum de Ledesma, quem ibi refert, & sequitur aduersus alios certum tempus ad hoc praegentes.

Quibus sic suppositis reliquum est, vt in priori quaestione principalis, de qua in hoc cap. etiam verior, & tenenda videatur Iure communi saltem attento, quae habet, quod matrimonium per literas, vel epistolam possit contrahi.

Adhuc tamen remanet dubium, an post Concilium Tridentinum idem sit dicendum? & affirmatiua pars vera quoque & tenenda videtur in duobus casibus supra relatis, ex Thom. Sanchez d. lib. secundo, disputatione 12, numero tertio, nec tunc obstant fundamenta pro contraria parte supra adducta, quoniam eis respondemus, quod per literas lectas, & acceptas simul cum nouo consensu, eas exhibentis coram parochio, & testibus concurrat consensus mutuo utriusque partis, ac si per procuratorem absentis eius nomine praestaretur, quod idem in effectu esse videtur, siquidem hoc Iure communi licet, & non inuenimus correctum, nec sublatum expresse per Concilium Tridentinum, sicut, nec illud de matrimonio contracto per procuratorem, ergo & hoc quoque per literas contractum: modo supra dicto seruato, validum esse debet, & in terminis secunda quaestiois, nempe quod per Concilium Tridentinum non sit correctum Ius commune, quod habet, vt necessarium non sit ad valorem matrimonij consensum simul ab utroque coniugis praestari probat contra nonnullos, saltem in tribus casibus, de quibus ibi per eum, Thomas Sanchez d. lib. 2. disputatione 23, numero 17, ergo & in specie nostrae quaestionis prin-

cipalis, de qua in titulo huius capituli, in Matrimonio per literas, vel epistolam contractum est, idem dicendum venit, nempe vt validum sit, etiam hodie post Sacrum Concilium Tridentinum.

Nihilominus tamen secunda opinio contraria negatiua securior est, & consulendi in praxi, ante factum ob multa, quae contingere possent, quae prudentem virum mouere possent ad praed. matrimonium inualidum iudicandum: non enim oportet in re graui, & tanti momenti, relinquere valorem huiusmodi matrimonij arbitrio alterius, sed certiorum, & securiorem partem sequi, in materia opinionabili, & vbi nulla est euidencia, sed potius praxis communis contrarium, nempe vt in absentia matrimonium celebratur per procuratorem, & non per literas, nec per epistolam.

CAPITVLVM XLVI.

De consensu ad matrimonium requisito, & quibus esse debeat, & sufficiat.

S V M M A R I V M.

- 1. Consensus mutuo contrahentium est necessarius ad matrimonium.
2. Matrimonium an per aliquam potentiam possit absque proprio consensu constare?
3. Nulla humana potestati est concessum coniungere aliquos in matrimonium, sine illorum consensu.
4. Consensus matrimonij efficiens, non est explicitus in copulam, sed in ius, & potestatem ad ralem copulam implicite autem, & virtute ad copulam.
5. Bonum matrimonij triplex est, non tamen vritatur ob aliquem peruersum finem, quaevis substantia, & praedictis tribus bonis minime aduersetur.
6. Intentio contra bona matrimonij an quando non de ducatur tu pactum, sed in mente retineatur, vritatur matrimonium, nec ne?
7. Finis contrahentium matrimonium qualis esse debeat, vt culpa immunes sint?
8. Consensus ad matrimonium non satis est, quod sit interius, sed oportet, quod verbis, vel signis exprimat, & quomodo se habent in hoc signa exteriora? numero 9.
9. Consensus in valentibus loqui ad matrimonij valorem an requiratur, quod verbis exprimat, vel sufficiant signa? & num. 11, & 12.
10. Interrogatio contrahentium matrimonium, & expressio consensus a quo eorum incipere debeat?
11. Consensus sicut, vel metu cadente in constantem virum extoritur vnus ex contrahentibus, satis est, quod quis minus legitime consensus, demum consentiat absque eo, quod uterque consentiat, nisi alter priorem consensum reuocauerit: neque opus est quod de nouo celebratur matrimonium coram parochio, & testibus, si prius coram ipso fuit celebratum, vt in numero 15. De consilio autem ad maiorem securitatem, & cautelam perita sunt licentia ab Ordinario, vt coram testibus verum contraheretur occulte matrimonium, nominibus contrahentium non expressis praed. Ordinario, vt in numero 18. & ad sit tunc opus aliquid declarare contrahentibus prius matrimonij nullitate? vide num. 17, & 18, & quid sit temporis intervallo in medio intercesserit? vide numero 19.

**C**onsensus mutuus contrahentium est necessarius ad matrimonium, estque eius causa efficiens, cap. sufficit 27. questione 2. cap. cum apud. & cap. cum locum. & cap. tua de sponsal. & in cap. tua cum alius de sponsal. duorum l. nuptias, ff. de regul. iur. estque certissimum, ut in Concilio Florentino in Decreto de reformatione matrim. & in Concilio Tridentino sessione 24. in Decreto de reformatione matrim. cap. primo, & comprobatur late post omnes Theologos Thomas Sanchez lib. secundo de matrimonio, disput. 25. & disput. 26. numeros. ubi quod consensus est de essentia matrimonij secundum Supplementum Gabriel. in quarto, distinct. 27. quest. 1. artic. 1. & est indubitatum secundum Adrian. in 4. questione 2. de matrimonio.

Adeo, ut secundum eundem Sanchez d. numero quinto, sit probabilis sententia, per nullam potentiam posse matrimonium absque proprio consensu constare, prout tenent aliqui ex discipulis Dni Thomae, ut refert Petrus de Ledesma de matrim. questione 43. articulo 1. dubio 1. conclusio 3. qui tamen partem contrariam probat, imo, quod hoc vinculum constare possit de potestate Dei absoluta absque coniugum consensu, quia Deus potest supplere vires cause efficientis, ut calefacere absque igne: consensus autem mutuus solum est causa efficiens huius vinculi matrimonij: quam sententiam prius probavit, & tenuit Dominicus a Soto in quarto, distinctio 27. questione prima, articulo secundo, conclusio prima. Victoria in relectione de matrim. prima parte, numero 4. Ledesma in Veracrucis in prima parte Specul. coniug. articulo secundo, §. Item si non esset, & Concanonicus noster Magister Palac. in quarto, distinctio prima, folio 363. cum sequenti, Angles in suis Florib. Theolog. questionum prima parte de matrim. questione prima de eius essentia, distinctio 27. articulo secundo in princip. folio 327. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 1. numero 3. Bartholom. de Ledesma de matrimonio, cap. 1. numero 3. Ludovic. Lopez in secunda parte Instructor. de matrimonio, cap. 39. versic. circa predicti, doctrinam. Vega lib. 4. sua summa casu 73. & sic, hanc opinio affirmatiua est magis communiter recepta.

Sunt nonnulli dicentes, Deum immediate coniunxisse primos parentes absque illorum consensu, idque Christum significasse in illis verbis Matthaei 19. quos Deus coniunxit, &c. & hoc dicit esse probabile Palud. in quarto, distinctio 26. quest. 2. artic. 3. sed quamuis praefata secunda sententia affirmatiua Soti. & reliquorum satis probabilis sit, hoc tamen ultimum additum non est verum, secundum Thomam Sanchez d. lib. secundo de matrim. disputatione 26. numero 4. quia ad suam Dei providentiam spectabat, ne matrimonium primum, quod aliorum norma, & exemplar erat, proprio consensu consisteret.

Illud autem certissimum est, nulli humanae potestati esse concessum, coniungendi aliquos in matrimonium, sine illorum consensu, ut vltra alia fundamenta, quibus haec veritas probari potest, coarctat ex Concilio Trident. sessione 24. in Decret. de reformatione matrim. cap. nouo. ubi excommunicat omnes Principes ad matrimonium compellentes, ergo supponit non posse ad id aliquos compellere: haec est communis sententia Theologorum, ut constat ex congestis per Thom. Sanchez d. lib. 2. disputatione 27. numero 2. ubi eam late probat, & numero 3. cum Ledesma in secundam partem quartae, questione 47. articulo 2. in fin. & Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 6. numero 7. tenet nihilominus posse

Principem, quando bono communi valde expediret, aliquem compellere, ut alicui nubat, ipso tamen invito matrimonium constituere acquire.

Deinde obseruandum est, ut (quicquid alii dicant) consensus matrimonium efficiens non est explicitus in copulam, sed in ius, & potestatem ad talem copulam, implicite autem, & virtute ad copulam, ut ex D. Thom. & communi quamplurimum Theologorum, quos ad hoc refert, probat, & tenet Thom. Sanchez d. lib. 2. de matrimonio, disputatione 28. num. 3. ubi num. 4. id declarat.

Quamuis autem in matrimonio (ut omnes fatentur) reperitur triplex bonum, nempe. bonum fidei, prolis, & sacramenti, non tamen irritatur ob quemcumque peruersum finem, qui eius substantiae, & praedicti. tribus bonis minime aduersetur: ceteri namque contractus, & sacramenti ex pessimo fine adiuncto, seruat substantialem, nunquam annullantur, ut docent D. Augustin. lib. de bono coniugal. cap. quinto, & habetur in cap. sicut 32. questione 2. Dicitur Thomas in quarto distinctio 30. questione 1. articulo 3. quos omnes alii sequuntur secundum Thomam Sanchez lib. 2. de matrimonio, disputatione 29. numero 8. idque colligit Abb. in cap. tua, numero 4. de sponsal. ex eo text. ubi matrimonium causa libidinis contractum ponitur ac validum.

Illam autem quaestio in proposito est satis controuersa inter Authores, an quando intentio contra bona matrimonij non deducatur in pactum, sed mente retinetur, matrimonium irritetur, necne, quam DD. variis in locis examinant, eosque in triplici sententia diuisos refert Thom. Sanchez, d. disputatione 29. numero 9. cum sequentibus. Prima habet irritari, ut si contrahentes intendunt non educere prolem, & venena procurare ad eam impediendam, vel sibi metipsis debium negare, secus, si intendat alius committere, quia primum pertinet essentialiter ad fidei bonum: secundum vero accidentaliter, cap. aliquando 32. questione 2. ibi, qui contrahunt eo animo, ut vel filios non suscipiant, aut susceptos enecent, non habeant connubium: hanc opin. tenet glossa verb. est ab initio in d. cap. aliquando, Turcremat. in cap. sicut non omnis, §. his itaque articulo 132. questione 2. Angel. in summa verba matrimonium secundo, numero 23. & sequenti, Ricard. in quarto distinctio 31. articulo 2. questione 1. Waldens. de sacrament. cap. 131. Petrus de Soto lectione 26. de matrimonio, in princip. Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 12. numero 7.

Secunda sententia docet, intentionem contrarium matrimonij substantiae, eiusque bonis mente retentam, non irritari illud, ut si quis intendat tantum ad tempus inire matrimonium, hanc tenent Anton. de Butrio in cap. de infidelibus, numero de consanguinitate, & affinitate. Rosel. Syluest. Lanzelot. & alij Theologi, quos refert Thom. Sanchez ubi supra, numero 10. & de proposito non consummanti, dummodo non deducatur in pactum, docent Abb. in cap. commissum, numero 2. de sponsal. & ibi Alexand. de Neuo, num. 5. & Præposit. num. 4.

Tertia sententia verior, & quae magis recepta videtur, habet, contrahentem matrimonium debere saltem implicite intendere bonum sacramenti, quod euenit, quando non habet intentionem contrariam: non tamen esse opus, ut implicite intendat alia duo matrimonij bona: quare, si haberet animum etiam corde retentum aduersum bono sacramenti, quia scilicet intendere non contrahere matrimonium, nisi ad tempus; non esset verum matrimonium; si tamen haberet intentionem aduersam

versam alius duobus matrimonij bonis, corde solum retentam, nec in pactum deductam, valeret matrimonium, ut si intendere vitare prolem, & habitum non educere, debium negare, & adulterari: hanc late probat, & sequitur Thom. Sanchez in quarto, distinctio 31. questione prima, articulo primo, questione tertia, & alios plures Authores, & mihi quoque magis placet haec sententia, circa cuius intellectum, & declarationem alia obseruat Thom. Sanchez ubi supra n. 12.

Qualis autem debeat esse finis contrahentium matrimonium, ut culpa immunes sint, agit late idem Thom. Sanchez, d. lib. 2. disputatione 29. numero 14. cum pluribus sequentibus, ubi etiam agit, an contrahere matrimonium ob fines extraneos, videlicet, ob pulchritudinem, vel diuitias, sit peccatum? & num. 24. cum D. Thoma. & communi resolutum in praed. specie, quod si fines indifferentes, matrimonio extranei, sint solum causa secundaria, & applicationis ad contrahendum, nulla est culpa, ex quo communiter excusantur contrahentes matrimonium, ob fines indifferentes matrimonio extraneos, quia communitur non eliguntur, ut fines, sed ut rationem applicationis ad matrimonium, vel ad matrimonium cum tali, & manet finis matrimonij debitus, etiam si de illo non cogitent, quia eo ipso quod matrimonium contrahere intendunt, nisi finem debitum expresse excludant, illum virtute, & implicite intendunt, ita Caietan. in primo tomo, tractatu 12. de matrimonio, questione 3. D. Couar. in quarto lib. Decret. secunda parte, cap. 1. §. omni numero 7. & Sanchez ubi supra, numero 21.

Consensus hic ad matrimonium, non satis est, quod sit internus, sed oportet, quod verbis vel signis exprimat, ut contra VVicleph late probat VValdens. de Sacramento, cap. 132. neque obstant text. in cap. tua, & cap. cum locum de sponsal. ubi habetur solus consensus efficere matrimonium: & verba necessaria esse, quoad Ecclesiam, quia dupliciter respondet Sanchez ubi supra, disput. 30. primo satis esse solum consensum, id est non desiderari verba determinata, sicut in aliis sacramentis, sed satis esse quibuscumque, verbis vel signis consensus internus patebit: & exigi verba ad faciliorem probationem in foro externo, secundo, & melius, dictionem exclusiuam non excludere comitantia, & ita minime excludere expressionem per signa externa, quae comitantur ipsum consensum in omni humano contractu, ut patet ex text. in cap. licet de sponsal. dicitur, ubi ita quod vpus alterum in suo mutuo consensu verbis expresse recipiat, & in Concilio Trident. sessio 24. cap. 1. in Decret. de reformatione matrim. ibi, ubi parocnus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto: vel dicat, &c.

Nec externa signa se habent ad constituendum sacramentum, tanquam conditio, sine qua non, quasi per illam innoteceant mutui consensus, & ita, si Deus eos, contrahentibus reuelaret, esset matrimonium absque aliquo signo exteriori, ita Martini in quarto, distinctio 26. quest. 1. ad tertiam, & est probable, ut inquit Alphons. a Veraeruce in prima parte Specul. coniug. articulo 3. sed probabilius est, esse de ratione ipsius contractus, & ideo matrimonium non consistat Deo reuelante vtrique mutuo consensu, ut cum Alman. Victoria. Soto. Ledes. Palatio. Angles, & vtrouque Ledesma affirmat, & probat Sanchez, d. lib. 2. disputatione 30. num. 2. & 3.

Dubium tamen notabile se offert in proposito explicandum, in quo DD. maxime variant, an sci-

licet, in valentibus loqui requiratur, quod consensus in matrimonio verbis exprimat, vel sufficiant signa exteriora ad eum exprimentum pro matrimonij valore: in non valentibus loqui clara res est, satis esse signa, text. in cap. cum apud, & in cap. tua de sponsal. sed in valentibus loqui, contrarium nuncupatum probari videtur in d. c. tua de sponsal. a contrario sensu, ubi matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum, sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus exprimentia de praesenti, nam surdi, & muti possunt contrahere matrimonium pro consensum mutuum sine verbis, & pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligentur minime consentire: secundo ex d. cap. licet de sponsal. quorum in verbis supra relatis, ubi, ita ut vnus alterum, verbis consueris expresse recipiat, &c. Tertio facit ponderatio Pontificis in cap. consultius de sponsal. ubi, cum verba processissent: quare hanc sententiam tenuit glossa in cap. tua nos, verb. nec forma de sponsal. & in l. cum non summi, C. de prescrip. 30. vel 24. ann. verbo solum, ubi Bald. numero 7. Innocent. in d. cap. tua, paulo post princip. & ibi Calder & consil. 5. de sponsal. & alij plures, quos congerit Thom. Sanchez, lib. secundo de matrim. disputatione 31. numero 4. & hanc opin. sequuntur multi grauissimi Canonici, quos refert Henric. Boic. in d. cap. tua, & testantur communem Imol. columna 1. Bald. Nouell. numero fin. in l. prima, §. si quis ita mittere, ff. de verb. oblig. & Brunel. de sponsal. conclusio 14. columna 1. prout eos ad hoc refert Padilla infra statim citandus: & inquit, hanc sententiam esse indubitatum post Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. in Decret. de reformatione matrim. Cephal. consil. 34. numero 39. & 47. volumine 4. & inquit Padilla in l. & in epistola, num. 17. ad fin. quod haec omnia cessabunt iam hodie, cum certa forma sit ab Ecclesia praescripta, sub qua matrimonium contrahi oporteat in d. cap. Concil. Trident. eandem opinionem refert alios tenentes Zuallos tertio tom. commun. opin. questione 740 numero 21. vbi numeri praecedentibus refert fundamenta huius partis.

Verum his non obstantibus, contraria sententia est verior, communis, & tenenda, nempe satis esse etiam in valentibus loqui, signa consensus exprimentia pro valore matrimonij, ut melius colligitur ex d. c. tua pro contraria parte adducto; dum ibi Pontifex consultus, an verba sint necessaria ad matrimonium, respondet, solum consensum legitimum requiri explicitum verbis vel signis, ut patet ex verb. Nam surdi, & muti (quae est ratio praecedentium) possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum, sine verbis: quia si non intellexisset, solum consensum verbis, vel signis explicitum, sufficere, ille verisimiliter non bene responderet praecedentibus, nulli que rei rationem redderet.

Nec obijciatur, dictum fuisse in praecedentibus, verba esse necessaria, quoad Ecclesiam, quia non est credendum, statim Pontificem se correxisse: praemaxime, quia non dixit absolute, verba esse necessaria, sed quoad Ecclesiam (hoc est, quoad faciliorem probationem in foro externo Ecclesia) ergo, si aliis modis, scilicet, per signa exteriora, constat de consensu mutuo contrahentium, valebit matrimonium: secundo haec verior, & communis sententia probatur a contrario sensu in c. ex parte de restit. sponsal. ibi, cum per solum translationem, quam non precesserit sponsalia, vel consensus legitimus, nullum introducatur vinculum matrimonij: tertio ex text. in ca. vnic. §. final. de dispensatione impub. lib. 6. ubi patet sufficientem praesentiam continen

confensum ad t. irrimonium pro puella present. & tacente, & est verum matrimonium: quia secund. D. Thomam, in quarto, distinctione 27. questione 1. articulo 2. questionula secunda, ad verum, verba parentum reputantur puella, & est sufficiens signum. quod sunt eius. ex quo non contradicit ergo sufficiens signa exteriora ad valorem matrimonii exprimentia. vel potius significantia legitimum consensum valentis loqui: quarto ex cap. final. de conug. seruat. ibi. nec factio, nec verbo consensio: ergo satis est factio consentire, vel verbis: quinto, quia nihil refert, quod quid ex equipollentibus fiat, cap. licet ex quadam de testib. cum factis magis exprimat voluntas, quam verbis: cap. dilecti de appellat. l. de quibus, ff. de legibus: sexto, quia si verba essent de matrimonio essentia, non pateretur pia mater Ecclesia tamdiu ignorantiam esse circa rem grauilissimam, sed clare id expressisset, quod tamen haec non explicuit: septimo, quia imo Concilium Florentinum in Decreto de sacramentis, cum singula sacramenta sigillatim poneret: ita dixit. consensum per verba regulariter expressus facit matrimonium: non dixit, semper, sed regulariter, id est communiter. Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 1. in Decret. de reformatione matrimonij, inquit: vbi parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, &c. Non enim dicit Concilium, quod sit necessarium exprimere contrahentes matrimonium consensum verbis, sed quod parochus intelligat eum: hoc autem, & verbis, & factio, nempe signis exterioribus, & id aperte significantibus, vt autem intelligi potest ergo, &c.

Et in terminis hanc sententiam tenuit gloss. in d. cap. tua in pari. verb. de sponsalib. & ibi Hostiens. Cardinal. numero 1. Anton. de Butrio, numero 8. Anchar. numero 3. dicens opin. hanc esse multum equam, & testatur communem Abb. ibi, numero 3. Alex. de Neuo, numero 15. eam sequutus: probant etiam pro communi idem Cardinal. in cap. si inter numero 4. Abb. numero 6. gloss. glossam ibi, verbo dicente, de sponsal. glossa etiam in cap. sufficiat 27. questione 2. Abb. in cap. ex parte de vestit. spoliat. numero 8. & 28. & ibi Ant. Francisc. & Sapia, in addit. ad eundem: dicunt communem eam sequuti Arcus. consil. 13. columna 2. numero 2. Boerius decis. 1. numero 18. Bellamera consil. 88. Cagnolus in l. nuptias, numero 7. ff. de regali. iur. Purpurat. in l. 3. numero 92. ff. fecerit. pet. D. Couar. in 4. de sponsalib. secunda parte, cap. 4. in princip. numero 1. vbi plures allegans Villalob. in suo arario commun. opin. litera N. numero 54. & sequenti, Anton. Gabriel in prior. editione tom. 2. commun. opin. verb. matrimon. numero 11. questione 7. vbi testatur communem, Tabien. verbo matrimonium secundo, questione 8. S. 9. Summa Roel. verbo matrimonium tertio, numero 2. Angel. eodem verbo matrimonium 2. numero 4. Nauac. in Manuali, c. 22. numero 20. eandem plures allegans testatur veram, & communem Padilla in l. in epistola, numero 13. C. de fideicommiss. dummodo signa adfint apta significantium consensum. facit l. 5. titulo 2. partia 4. ibi, conueniens, quelo hanc per palabras, para que se pueda probar, & ibi Gregor. Lopez in gloss. per palabras: Brunel vbi supra, conclusionem 12. numero 2. Marc. Ant. Cuch. lib. 3. in l. ma, titulo 11. numero 22. Malfard. de probat. conclusionem 1024. numero 2. Matien. in rubrica, titulo 1. gloss. 1. numero 22. lib. 5. noua collect. Reg. D. Spino in Specul. testament. gloss. 15. numero 3. & 13. Humada super, l. 2. gloss. 15. numero 20. titulo 1. partia 1. & alii communiter quamplures luristae, & Theologi, ita

videtur tenere D. Thom. in quarto sententiarum, distinctione 27. questione 1. art. 2. questionula 2. ad 2. & 3. & tenet Palud. ibidem questione 2. articulo 3. numero 17. Maior. questione 1. supplementum Gabriel ibi articulo 2. conclusionem 3. & 4. Soto in 4. distinctione 27. questione 1. articulo 3. conclusionem 2. versic. ex huiusmodi Alphon. à Veracrucis in 1. parte specul. conug. articulo 3. & in appendice ad specul. dubio 3. propositione 2. Palac. in quarto, distinctione 27. disputatione 1. folio 562. columna 1. & 568. columna 1. & 569. columna 1. Enriquez lib. 11. de matrimonio cap. 2. numero 6. Pater Suarez primo tom. de Sacramento, questione 69. articulo 2. disputatione 2. sectione prima. & secunda, Candelab. auctum 7. Sacramentorum de matrimonio, numero 37. Ludouic Lopez in secunda parte Instructor. de matrim. Cap. 39. folio 1020. & cap. 39. folio 1025. columna 2. Manuel Rodrig. in primo tom. sue Summae in secunda editione cap. 216. numero 3. Bartholomaeus à Ledesma de matrim. dubio 17. fol. 1271. Petrus de Ledesma de matrimonio, questione 45. articulo 2. dubio secundo. & plures alios tam Canonistas, quam Theologos allegans. hanc sequitur, atque communem, & tenendam profiteretur Thom. Sanchez de matrimonio lib. 2. disputatione 11. numer. 5. per totum. vbi numer. 6. respondet fundamentis contrariis. reijcio alias duas diuersas quorundam Doctorem opinionem, quas idem Author refert ibi. numer. 3. & 4. quae non sunt communes, nec tenendae, sed praecedens secunda sententia. quae proculdubio verior est. magis communis. & tenenda, & hanc sequitur plures allegans dicens esse veriorum, & recentiorum ac tenendam in iudicando, & consulendo sub correctione Sacro Iustitiae Matris Ecclesiae, Zeual, vbi supra, n. 22. cum seq.

Quinimo licet nonnulli DD. Moderni teneant, saltem verba in proposito esse de necessitate praeccepti, attamen multo certius est, nullum esse de hoc praecceptum. vt cum aliis pluribus probat, & tenet Thom. Sanchez vbi supra, numero 9. vbi fatetur, culpam esse venialem non exprimere verbis consensum ad matrimonium, sed solam signis, nisi iusta causa excularet, quod si consensus esset dubius peccatum morale committeretur, vnde scandala, litaeque oriri possent.

Ad essentiam tamen matrimonij requiruntur signa exteriora, si verba non profertur. cum sit sacramentum, vt probat D. Couar. in quarto, secunda parte, c. quarto, in princip. num. 2. at quod sit sacramentum, tenet cum communi alios citans Thomas Sanchez, vbi supra, n. 8.

Haec autem expressio consensus coniugalit, non refert à quo incipiat, à viro, vel à femina. quantum honestum sit, feminam prius interrogari iuxta text. sic falsum intellectum in cap. penult. de sponsal. & in cap. licet de sponsal. duorum: ita tenet Cardin. & Ioan. And. numer. 3. & Anton. de Butr. numer. 2. tam 3. in d. cap. penult. de sponsal. & D. Couar. vbi supra, necnon & Thomas Sanchez vbi supra, numero 12. vltra quos, idem tenet contra glossam in l. prima, ff. de adoptio. & Ioan. Orosc. in l. 2. numero 8. ff. eodem titulo, dicens, quod hodie hoc iure vitum, vt prius mulier interrogetur, idem & nos profitemur, & testatur ex diuturna consuetudine, quamuis Ioan. Andreas, Ant. & Cardinal. atque Sanchez dicant honestius esse à viro initium sumere, quia in praed. textibus prius verba viri proponuntur, & quia vir caput est & femina verecundia subiectiores sunt: Concil. autem Trid. sessione 24. ca. 1. de reform. matrim. loquens de parochia inquit, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, non declarans, quis eorum debeat

beat prius interrogari, quasi nihil referat aliquo incipere debeat praed. consensus coniugalit: atque ideo merito praed. consuetudini standum est, quod si aliter fiat incipiendo à viro, validum proculdubio erit matrimonium. mutuo consensu vtriusque intellecto à parochio, vt inquit Concil.

14 Quod si consensus vnus ex contrahentibus fuit legitimus, alterius vero illegitimus, quia fuit vitiosus, vel metu cadenti in constantem virum extortus, factus erit. vt ille, qui minus legitime consensit, denuo consentiat, absque eo, quod vterque de nouo consentiat, dummodo alter consentium non reuocauerit. vt de fide consentiente docent Ricardus in quarto, distinctione 29. articulo 1. questione 3. Petrus de Sero lib. 3. de matrimonio, paulo post princip. §. primum igitur, Ludouic. Lopez in prima parte Instructor. cap. 85. ad fin. & §. penultim. Manuel Rodriguez in prima parte sua Summae in secunda editione, cap. 208. numero 7. post Hostiens. in cap. dilectus de sponsal. super verb. contratio. Ioan. Andr. ibi, numero 7. Anchar. numero 3. Alexand. de Neuo numero 18. in fin. Syluest. in summa, verbo matrimonium 8. questione 2. dicto 6. Nauar. in summa cap. 22. numero 8. & quando alter metu cadenti in constantem virum consentit: D. Thom. in quarto, distinctione 29. questione vnic. articulo 3. questionula secunda, ad secundum; quem ibi sequuntur alij DD. communiter, Nauar. in Manuali, cap. 22. num. 31. in fin. Gregor. Lopez in l. 15. in glossa, leplu quiesce, in fine. titulo 2. partia 4. & plures vtriusque Scholae referens probat Thom. Sanchez lib. 2. de matrim. disjunct. n. 32. num. 9. aduersus nonnullos, quos numero praeced. reculerat, tenentes contrarium.

15 Non tamen est opus, vterumque coram parochio, & testibus in praemissa specie celebratur hoc matrimonium: id namque fieri debet quando omnino celebratur matrimonium, hic autem iam prius fuit celebratum solenniter coram parochio, & testibus, & nunc suppletur tantum defectus interni consensus, ita in terminis probauit, & tenet Henriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 12. numero 2. in commento litera I. Ludouic. Lopez, & Manuel Rodriguez vbi supra, quos sequitur Thom. Sanchez d. disputatione 32. num. 13. quae opinio vera mihi quoque videtur, & potest secure teneri.

16 Nihilominus tamen in praxi consulti in simili specie nos, & quidam grauis Theologus Religiosus, & Praelatus Ordinis Praedicatorum, consulimus, pro maiori securitate, & cautela, vt cum licentia Ordinarij, & commissione ipsius nobis facta nominibus eorum non expressis ipsi Ordinario, coram testibus iterum contraherent occulte, ob uitandum scandalum, quia communiter reputabatur pro veris coniugibus, cum tamen vnus eorum nunquam verè, sed fide tantum consensisset, cui respondimus, teneri in conscientia vere consentire. & sic fuit obseruatum, & exequutum, quia alter, qui vere consentiat, à principio hoc quoque exoptabat. Ceterum si dubitaretur de voluntate perseverandi matrimonio, illius, qui vere consentit ab initio, quod qui fide consentit, si manifestaretur, melius est, quod qui fide consentit, vere interne consentiat, absque eo, quod iterum ab vteroque matrim. denuo celebretur propter scandalum uitandum, & alia inconuenientia, quae inde subsequi possent, si defectus consensus praecedens alteri coniugi manifestaretur, quod ipse denuo noller contrahere.

17 Quando vero matrimonium fuit omnino nullum ob impedimentum occultum, an tunc idem sit dicendum, vel non? agemus infra cap. sequenti, numero 6. non enim opus est in specie, de qua hic agimus, aliquid intimari alteri coniugi, nempe matrimonium non valuisse, vt cum Petro de Soro, & Ludouic. Lo-

pez, vbi supra. obseruat. Sa chez d. disputatione 32. numero 10. vbi numero 11. cum alij DD. tenet satis esse in hoc casu, quod praediximus, nempe, quod ille interne nunc vere in corde suo consentiat: idemque probat in sponsalibus.

Secus autem esse ait, si vterque metu, vel fide consentit, quia tunc vtriusque consensus innouandus est, denuoque matrimonium contrahendum. Et numero 12. probat, & tenet cum Nauar. in Manuali, cap. 22. numero 80. satis esse si fide, vel metu consentiens post vere assensum praebet, quocumque temporis spacio interiecto, licet plures intercellerint mentes.

CAPITULUM XLVII

De consensu in matrimonio cum opinione vtriusque coniugis credentis, quod adfit impedimentum, quod vera non sit.

SVM MARIVM.

- 1 Consensu in matrimonio, cum opinione vtriusque coniugis credentis, quod adfit impedimentum, quod vera non sit, an efficiatur matrimonium? & quid versa vice? vt in num. 2.
- 2 Matrimonium nulliter celebratum ob impedimentum dirimens, impetrata dispensatione, vel eo cessante, vt quia prior uxor vivebat, & iam obit, non conualefcit, & an consus consensu impedimenti in hac specie sit necessarium, vel oporteat, quod certiorum faciat alterum siliu impedimenti, vel satis sit, hoc nullitate sacra postea renouare consensum? num. 4.
- 3 Matrimonium nulliter celebratum coram parochio, & testibus ob aliquod occultum impedimentum, an sublato impedimento sit iterum celebrandum coram parochio, & testibus, vel sufficiat nouum consensum occultus renouando priorem consensum absque parochio, & testibus? & hoc attento Sacro Concilio Tridentino? & numeris sequentibus, vbi latissime de hoc agitur.
- 4 Forma data esse videtur, quando lex Regia statuit quibus in locis, & iurisdictionibus, & coram quibus iudicibus infirmatio fiat, & cum certis modificationibus.
- 5 Forma statuti non obseruata, nullus est nullus.
- 6 Ablatum absolutum imporat condonacionem.

Consenserunt duo habiles in matrimonio hodie coram parochio, & testibus, vnus tamen eorum, vel vterque credebatur, vel opinabatur esse inter eos canonicum impedimentum, quod re vera non liberat, quaeritur an sit matrimonium? & videtur hoc non esse verum matrimonium. Primo ex defectu consensus omnino certi, & indubitabilis, cum tamen certum sit, in matrimonio requiri consensum liberum, atque certum, vt in quampluribus capitulis tituli de sponsal. & alibi sapissime inuenitur decisum, & supra etiam est dictum, sed hic consensus ab vno, vel vtroque coniuge praestitus, qui credebatur, licet falso, subesse impedimentum, non est huiusmodi, sed potius contra opinionem, & crudelitatem ipsius, & sic culpabilis: ergo non valet huiusmodi matrimonium, tanquam illusorio. iuxta eius opinionem celebratum. Secundo, quia opinio praefertur veritati, vt in l. 1. qui putat, ff. de acquir. haered. vbi quod qui putat, se necessarium haeredem esse, repudiare non potest, etsi vere voluntarius haeres sit, ergo, qui putat, non posse dari corporum mutuum traditionem nec cohabitationem propter canonicum aliquod impedimentum, errat in substantia coniugij, igitur non est matrimonium. Tertio, ex doctrina ab-

batis in cap. cum in Apostolica, numero 6, de sponsal. quæ habet, quod credens impedimentum, quod tamen non subest, matrimonium quoad Deum non contrahit, licet protulerit verba apta ad contrahendum matrimonium. Similiter inquit ibi Vincent, quod quando maritus erat in factio contrahendo secundum matrimonium credens primum matrimonium tenere, quod nullum postea declaratur, non valet secundum matrimonium, quia defecit consensus, quem ibi sequuntur communiter DD. fatentes, quod poterit cogi, ex quo vxor secunda primum matrimonium ignorabat contrahere cum ista secunda, postquam declaratum fuerit primum matrimonium non tenere, vt in cap. 1. de eo, qui duxit, & c. ita affirmat Præpos. in d. cap. cum in Apostolica, num. 3. ad finem: ergo idem profus videtur dicendum in proposito: & hanc opin. in terminis tenent quamplures Authores, quos refert Thom. Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 33. num. 1. & inter eos Petrum à Ledesma dicentem esse probabilem.

Contrariam tamen sententiam, imo quod in præmissa specie validum sit matrimonium, si contrahentes intendebant, quantum in seipsis erat, consentire, probant alij plures Authores, quia hæ personæ sunt re vera habiles ad contrahendum, & intendunt, quatenus possunt contrahere: ergo vere contrahunt: qua ratione, & aliis ita tenent glossam in Summa in verbo vitæ quæstio, in fine 34. quæstione 1. & in d. cap. cum in Apostolica, verb. remanere de sponsal. Rosella verbo impedimentum, in 12. impedimento in fine: Tabien, eodem verb. in 10. impedimento in fine. D. Couar. in quarto de sponsal. secunda parte, cap. 3. §. 7. numero 2. D. Antonin. in tertia parte sua Summa titulo 1. cap. 9. in fin. Pet. de Ledesma, de matrim. quæstione 51. articulo 9. dubio 2. Bartholom. de Ledesma, de matrimonio dubio 32. conclusio 3. Enriquez lib. 11. de matrim. cap. 11. numero 5. Manuel Rodrig. primo tom. sue Summe, in secunda editione, cap. 235. numero 3. qui duo vltimi loquuntur, quando dubitant contrahentes de morte prioris viri, & hæc sententia probabilior est secundum Sanchez vbi supra, numero secundo, in principio, & mihi verior videtur, & tenenda, eo addito, quod his in foro exteriori non est adhibenda fides, si negent se consensisse: secus in foro conscientie, vt tenet D. Couar. vbi supra d. §. 7. num. 4. & Sanchez etiam vbi supra, numero 3. qui fundamentis prioris partis respondet.

2. Verfa vice, si quis fide contraheret, & errore ductus, quo putabat illud matrimonium esse validum, verbis, vel factio consentiat, non erit matrimonium: nihil enim tam contrarium consensui, quam error. si per errorem, sibi de uisid, omnium iudic. vt cum aliis pluribus probat Thom. Sanchez lib. secundo de matrim. disputatione 34. numero 2. & disputatione 36. numero 3. per totum, & quamuis aliqui ex prædicti Doctoribus hoc temperent, vt non sit matrimonium, quando si denuo consentiens sciret se liberum esse, minime consentiret; vnde à contrario sentit Doctores præd. videntur oppositum sentire, quando si libertate cognita adhuc assensum præberet, vt sunt Rosella, Syluester, Victoria, Nauar, Ledesma, & Magister Palacios: verus tamen est, etiam in hoc casu non esse matrimonium, quia ea tantum est voluntas habitualis, & quamuis error concomitans non sit causa inuoluntarij contrarie, est tamen causa inuoluntarij negatiue, id est causa, vt ibi non sit actus, & consensus voluntarij positioe, sed tantum est in habitu, & animi præparatioe, quia si sciret, haberet actum voluntatis, matrimonium autem requirit actum voluntarij de præsentis: quare vt esset matrimonium, oporteret, vt cum denuo confirmat hunc actum voluntatis eliceret, quamuis primum

matrimonium sit nullum, volò ex nunc eo ligari, ita Sanchez de disp. 36. num. 3.

Quod si matrimonium celebratum fuit nullum, ob impedimentum canonicum, dirimens impetrata dispensatione, vel eo cessante, vt quia prior vxor vivebat, & iam obiit, id matrimonium non conualidat, nisi nouus consensus viriusque coniugis accedat: iuxta glossam in cap. non debet, verb. de cetero, per tex. ibi de consangu. & affini. est communis, vt cum aliis affirmat D. Couar. in quarto de sponsal. 2. parte, cap. quarto, in princip. numero 5. tradunt Nauar. in Manual, cap. 22. numero 47. & 80. & in cap. si quis autem, de penitentiâ, dist. 7. numero 70. & lib. 4. consil. in i. primo de sponsal. in vitæ quæstio, consil. 12. Gregor. Lopez in glossa, le plus quæstio, in fine titulo 2. partia 4. Didac. Perez. in l. prima, titulo 1. lib. 3. Ordnam. folio 18. §. ex quibus respondendum. Sarmient. lib. 6. Select. interpret. cap. 17. in fine. Matien. in rubrica titulo glossa prima, numero 66. lib. 3. nou. collect. Reg. Segura, Aualos in Directorio Iudic. & c. secunda parte, cap. 15. numero 39. cum sequenti, D. Thom. in quarto Sentent. dist. 11. tit. 40. quæstioe vnic. articulo quarto, ad sextum, & communiter eius discipuli, quorum plurimos refert, & sequitur Thom. Sanchez de matrimonio lib. 2. disputatione 35. numero 2. vbi numero 3. docet aduersus Petrum à Veræruce, satis non esse interne consensus renouari inter hos coniuges.

Illa tamen quæstio in proposito maxime controversa est, in 10. præmissa specie sit necessarium, vel oporteat, coniugem consensum illius impedimenti, alterum coniugem certiore facere de nullitate prioris matrimonij, vel satis sit hac nullitate tacita, renouare consensum? requirereque longum examen. nisi tam recte peradum esset à Thom. Sanchez lib. 2. disputatione 36. vbi refert, & late fundat duas opiniones in hoc contrarias: prima habet coniugem impedimenti consensum, obteata dispensatione vel impedimento cessante, non oportere alteri aperiri, prius matrimonium fuisse nullum, sed satis esse, si caute curet vtriusque consentum renouari, distimulante petendo ab altero, vt pro sua consolatione ipsum habeat in coniugem, & ipso similiter dicente, ego quocumque volo te in coniugem: & hanc tenent quamplures Authores, quos refert cum suis fundamentis ibidem numero secundo, per totum: secunda sententia ait, necessarium esse, vt id matrimonium conualidat, at coniugem impedimenti ignarum, certiore fieri de prioris matrimonij nullitate, licet causa ei tegerat, vt patet ex concessione Bulle Cruciatæ facta Commillario in illis verbis: Altero impedimentum ignorante, prius de nullitate prioris consensus certificato, & c. nec non & aliis fundamentis, & quampluribus Authoribus eam tenentibus, vt ibi latissime per eum numero 3. per totum vbi hanc secundam multo probabilior em esse affirmat, samque ponit inter quinque pro prima conclusione tenenda, in secunda conclusione ait, sufficere, si nouus ille consensus procederet ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis prioris matrimonij licet alter coniugis eam ignoraret: vt si coniugis impedimenti conscius peteret ab alio sic: me ita diligis, vt, si non esset inter nos matrimonium, denuo contraheres, ac, nunc vis me in coniugem, ac si non fuisset validum inter nos matrimonium prius contractum? & respondeat alter, ita volo, interrogans que te quoque idem velle dicat.

In tertia conclusione inquit, sufficere etiam si coniuges scientes impedimentum cessasse, se affectu maritali cognoscant, vt prius matrimonium irritum conualidetur, iuxta glossam in cap. non debet, verbo de cetero, de consangu. & affini. & communem opin. plurimum DD. quos ibi refert numero 3. in tertia conclusio, vbi

vbi quod post Concil. Trid. quo huiusmodi matrimonia præsumpta cessarunt: ait ad duo prodesse hanc communem sententiam, vnum est, pro infidelibus, qui inuoluntate contraxerunt, nam si cessante impedimento, vt mortuo priore coniuge, qui tunc superstes erat, morteque per ipsos scita, cognoscant se, sic prius, tanquam coniuges, conualidabitur matrimonium, cum illi lege Concilij non astringantur, quod maxime prodesse ait, ad discernendum, quando infideles conuertuntur, in quo matrimonio per ipsos inito perseverare permittendi sunt. Alterum est, quia si nullitas prioris matrimonij occultata sit, illudque coram parochio, & testibus celebratum sit, conualidabitur per eam copulam affectu maritali habitam, per quam ante Concilium conualidat, vt latius probat cum aliis, quos citat, idem Sanchez d. lib. 2. dist. 37. num. 14.

Ex quibus deducitur, quod vbi non timetur probabiliter scandalum, vel infamiam, fore, vt vir nullitatis conscius nollet denuo contrahere, & maneret femina remedio destituta, cum impedimento illud probari non possit, & maxime, si esset proles, vel non esset periculum infamie, quale scandalum, vel periculum non timetur communiter, cum impedimentum est ex parte viri, & aliquando, quando est ex parte femine, attentata viri, & ipsius femine conditione, curandum omnino esse vt vterque coniugis notit, matrimonium non valuisse, vel saltem, vt ignarus nullitatis consentiat, ex tunc in matrimonio casu, quo à principio irritum fuisset: nec in hoc casu potest tuta conscientia amplecti prior opinio, nimirum, vt distimulante tecto impedimento conscius coniugis ignoranti persuadeat, vt illum habeat in coniugem: ita Thom. Sanchez vbi supra, n. 7.

Quarta conclusio ipsiusmet Authoris habet, quod vbi esset probabilis timor prædicti scandalij, nec possit extorqueri consensus ille conditionalis absque prædicto, periculo, possit amplecti prior opinio, vt omnino recta prioris matrimonij nullitate persuadeatur ignorant, vt ex tunc habeat alterum in consensum, modo quo dictum est supra in proposito prior opinioe, vt probat Sanchez vbi supra, numero 8.

Vltima conclusio Sanchez, vbi supra, num. 9. ita se habet, quando nec hic consensus potest extorqueri, quia vir hilarius non est, & ita non vult respondere, & ex alia parte petit debitum ab vxore, ipsaque sine scandalo subterfugere nequit, reddendoque peccaret, cum nondum sit matrimonium; potest absque verbis denuo matrimonium illud consistere copula illa affectu maritali habita ex parte sua, nam ex parte alterius: cum puret esse matrimonium, constat eo affectu haberi, & hoc, etiam si alter coniugis ignoret prius matrimonium fuisse inualidum, vt ibi, & allegat Authores hanc conclusionem tenentes.

Superest nunc, vt circa præmissa videamus, an matrimonium coram parochio, & testibus celebratum, inualidum tamen ob occultum impedimentum sit, ablato impedimento iterum coram parochio, & testibus celebrandum, vel sufficiat nouus consensus occultus renouando priorem consensum absque parochio, & testibus, & hoc atateo Concil. Trident. & post ipsum d. sessio 24. cap. 1. in Decreto de reformatione matrimonij.

Hanc quæstionem late examinavi pro & contra in tractatu de sacramento confirmat. prima parte, cap. 31. numero 22. cum sequentibus, & lib. 1. Canonie, quæstionum cap. 18. per totum, vbi partem affirmatiuam late probauimus, nempe, requiri, vt iterum coram parochio, & testibus denuo celebretur matrimonium, etiam in casu, quo ex hoc graue scandalum oriretur, & infamia absque vitiari non possit, nisi per secre-

tam expressionem consensus: & hoc vltimum contra Speul. coning. & Antonium de Cordoua: quæ sententia probatur ex eo, quod in diplomate Cruciatæ conceditur Commillario generali facultas dispensandi in matrimonio occulto impedimento celebrato, vt iterum occulto celebretur: ergo attempto Trident. Concilio id fieri non poterat, quia alias frustra esset priuilegium, & deinde ratione probatur ea nostra sententia; nempe ex clausula solita apponi in dispensationibus concessis ad reualidandum matrimonium nullum propter occultum impedimentum, scilicet, si ita est cum eis, vt inter se publice, & seruata forma Concilij Tridentini contrahant, dispenses: ergo alias matrimonium nullum reualidari non potest: & ideo merito præfatam nostram sententiam tenuerunt, Nauar, lib. 4. consil. in prima editione, titulo primo de sponsal. consil. vñdecimo, & in secunda editione titulo de dispensatione impub. consil. 3. Palacios in quarto, dist. 11. quæstione 1. folio 166. in fin. & sequenti, Mati. in l. 1. tit. 1. num. 31. lib. 3. noua collect. Reg. Bartholom. à Ledesma de matrimonio dubio 17. folio 1275. & sequenti, & videtur tenere Didacus Perez in d. l. 1. titulo 1. folio 18. in versio, ex quibus respondendum erit.

Nihilominus tamen contrariam sententiam indistincte probant alij plures Authores, inter quos idem Nauar, in Manual, cap. 22. numero 70. & cap. 16. in noua editione, numero 37. & d. lib. 4. consil. titulo de sponsal. in prima editione cap. 35. numero 2. & in secunda editione consil. 14. in fine, Cuchus de instr. maior, lib. 3. titulo 11. numero 56. & alij plures, quos refert, & sequitur, atque late probat contra nos vbi supra, & sequaces, nouissime Thomas Sanchez lib. 2. de matrimonio, disputatione 37. per totam: quorum præcipuum fundamentum est, sic declarasse Pium V. & sacre penitentiariæ Prætorium ea declaratione frequenter vti: & ait Petrus de Ledesma de matrimonio quæstione 45. articulo 5. dubio penult. sic declarasse Cardinales, Quinimo Thomas Sanchez vbi supra, numero 7. contra Petrum de Ledesma vbi supra, docet multo probabilior esse, stando in ipso Decreto Concilij, posse clam absque parochio, & testibus celebrari, & ita Pium V. minime dispensasse, sed declarasse Concilium, & numero 4. cum sequentibus plura hinc inferet. Limitat tamen Thom. Sanchez vbi supra, numero 10. suam supradict. principalem sententiam, & sic secundam cum suis corollariis ex ea illatis, vt procedat, dummodo parochus, & testes impedimentum illud ignorarent, quia si id nossent, quantumcumque alias esset occultum, necessario repetendum esset coram parochio, & testibus, quia cum constet ipsi in foro Ecclesiæ matrimonium esse nullum, non sunt testes valoris, sed nullitatis matrimonij secundum Enriquez lib. 11. de matrimonio, cap. 3. numero 7. & Pet. de Ledesma de matrimonio, quæstione 47. articulo 3. dubio vltimo, idemque credit Sanchez, quando alter solus ex duobus testibus requisitis, vel solus parochus impedimentum nosset, quia iam desunt necessaria ad valorem matrimonij, cum vel parochus, vel alter testis requisitus non sit testis valoris matrimonij: si autem tempore, quo affiterunt matrimonio, ignorabant impedimentum, licet postea scirent, taliter, quod non esset probabile in foro externo; potest absque parochio, & testibus inuouari, vt ibi probat, & similiter credit, posse iterum occulte celebrari, si parochus tempore, quo matrimonio interfuit, nouerat impedimentum intra solam confessionem, quia cum tunc sciat solum, vt Deus, & nullo modo in foro Ecclesiæ, vere testis est illius matrimonij.

Secundo intelligit, & limitat idem Author numero 11. præfatam secundam, & suam sententiam, N ij vt

vt procedat, nisi periculum sit, vt detegatur impedimentum, & probetur in foro externo, tali namque periculo existente celebrandum iterum est coram parcho, & testibus secund. Enriquez. *d. lib. 11. de matrimonio, cap. 3. numero 6.* Manuel. Rodrig. *primotom. Summa in secunda editione cap. 220. num. 2.* Imo quantum id periculum minime sit, si impedimentum sit plene probatum in foro externo, credit Sanch. *vbi supra, d. numero 11.* necessario iterandum esse coram parcho, & testibus: & quod ad hoc, vt impedimentum dicatur occultum, vt eo sublato possit matrimonium clam celebrari, occultum accipi debet, vt distinguitur contra plene probabile, quia quando impedimentum plene probatur in foro externo, tunc proculdubio si matrimonium clam ratificatum validum esset, sequerentur ex eo omnia inconuenientia, quae olim ex matrimonio clandestino valido sequebantur: probato namque impedimento posset alter coniux aliam uxorem ducere, cum qua in perpetuo adulterio viueret, cum Ecclesiae minime confidet de occultae reualidatione matrimonij illius publici: quod propter impedimentum plene probatum fuisse nullum.

Tunc autem dicitur plene probabile impedimentum in foro externo ad dissoluendum matrimonium publice contractum, quando duobus testibus probari potest, *cap. quoniam de testib. citat plures Auctores hoc tenentes Mascard, de probat. conclusione 410. numero 19. in iudicio numero 9.* debent tamen hi duo testes esse non tantum idonei, sed omni exceptione maiores, id est, quibus nihil opponi possit, vt per plurimura, & DD. docet idem Mascard. *conclusione 1023. numero 4. cum pluribus sequentibus.* quare secund. Sanchez *vbi supra, d. numero 11. ad finem,* si sola relatione coniugis scirent impedimentum tres, vel quatuor, adhuc diceretur impedimentum occultum, dum non est publica fama, quia testes illi non faciunt plenam fidem ad dissoluendum matrimonium, quia tantum deponunt de coniugis confessione, quae non est sufficiens ad hoc.

Supra dicta omnia in hac secunda sententia ideo retulimus, vt nuncupatum super singulis nostrum iudicium interponamus, an vera nobis videantur, necne? quid igitur est dicendum dubio principali?

In primis, & ante omnia doceo, quod si verum est, bonae memoriae Pij V. vel alium Summum Pontificem declarasse in praemissa specie, sufficere praestari nouum consensum occulte, prout Nauar. & alii asserunt, atque affirmant, proculdubio id tenendum est, iuxta tenorem, continentiam, & formam ipsius declarationis: ego autem nunquam videram, licet viderim plura breuia sacri Praetorij poenitentiarie commissa in suprad. specie confessoribus ad contrahendum de nouo matrimonium, absque parcho, & testibus ob occultum impedimentum prioris matrimonij nullum verum hoc ius speciale continet in casibus illis particularibus, in quibus sic dispensatum reperitur, cum iis, qui sacram poenitentiarum adierunt pro remedio, non vero quoad alios deinceps, qui similia breuia non impetrauerint.

Secundo dico, quod seclusa praed. declaratione, & facultate Summi Pontificis, vel sacrae Poenitentiarie stando tantum in iure communi, prima nostra sententia verior est, & tenenda, non vero secunda ex fundamentis de quibus per nos vbi supra, quae magis profecto vrgent, quam contraria: nec video quomodo Epicheia vtendum sit contra generalitatem, & indistinctiorem praefati decreti Tridentini, ibi, qui aliter, quam praesente parcho, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus inhabiles reddit ad sic contrahendum, & huiusmodi contra-

ctus irritos, & nullos esse decernit, &c. Nec sufficit, quod parochus, & testes interfuerint primo matrimonio, quia id nullum fuit, ac si non contractum, nec celebratum fuisset, quare necessarium est, vt quando de nouo valide renouatur consensus, solennitas requisita à Concilio interueniat, atque obseruetur, Concilium namque parochum, & testes requirit ad valide celebrandum matrimonium, non vero pro invalido: quia tunc etiam parochus & testes ignorantes interueniant, non sustinetur matrimonium, siquidem ipsi postea matrimonium renouato, nec alij testes non interueniant, & praefertim, quia si sacrum poenitentiarie Praetorium frequenter vtitur praefata declaratione Pij V. est in foro conscientiae, non vero in externo, vt patet, quia committitur discretio viro confessori, &c. & viue vocis oraculo Summi Pontificis concessione, non vero virtute declarationis Pij Quinti. & adhuc opus est occurrere ad sacra poenitentiarie Praetorium, ergo alias reuocari non potest consensus ad reualidandum prius matrimonium nullum, absque parcho, & testibus, & ita tenendum esse censeto, salua in omnibus censura, & iudicio Sedis Apostolicae. Eandem nostram sententiam tenet nouissime Zambran. *in suis Auctori decisionibus, cap. 7. de matrimonio, dubio secundo, folio 342. cum sequentibus.* nisi graue timeatur incommodum ex tali assistentia, & impedimentum sit occultum, nec timeatur postea publicandum, tunc namque ait secure esse locum contrariae sententiae; ego autem teneo indistincte quod praedixi.

Hinc fit, vt (ad illationes contrarias, & caetera relata ex Thoma Sanchez *vbi supra,* descendendo) censeamus, quod sequitur: nempe, suas decem illationes non esse veras, nec securas ex rationibus supradictis: praecipue illam, quam quinto loco adduximus ex eodem Sanchez *dicta disputatione 37. numero nono,* nempe, quod non obstat clausula dispensationis: Seruata forma Concilij Tridentini, &c. licet, commissionis virtute, non possit dispensare, vt occulte celebratur matrimonium, at potest dispensare in impedimento; quo per dispensationem cessante, absque aliqua dispensatione, iuxta Decretum Concilij Tridentini, potest illud matrimonium inter ipsos solos contrahentes celebrari: hoc namque est contra mentem, & expressa verba Summi Pontificis, disponentis, quod seruetur forma Concilij Tridentini, in qua noluit dispensare si igitur Commissarius hoc non potest, nec patet.

Praeterea, quia ipsae partes debent in totum obseruare, & adimplere praedicta dispensationem, & sic vti forma Concilij, quia non possunt eam diuidere acceptando in partem, & in partem contrahendo; praedicta namque dispensatio continet formam, quae est indiuidua, & diuisio formam corrumpit, vt plures allegans tenet Francisc. Beccius *consil. 12. numero 30. folio mibi 23. columna 3.* vbi etiam quod forma est de genere indiuisibilium: at, quod dispensatio praedicta, contineat formam patet.

Quia quando lex Regia statuit quibus in locis, & iurisdictionibus, & coram quibus iudicibus innouatio fiat, & ita cum certis modificationibus forma data esse videtur. Ancharan. *consil. 242. extenore in fin.* Decius *consil. 262. in causa magnifici, numero quarto,* & in pluribus alijs consilijs relatis per Beccium *consil. 66. numero 9. lib. primo,* & numero 10. quod in dubio forma data à statuto censetur substantialis. Et numero 11.

Quod forma statuti non obseruata actus est nullus, vt per DD. quos ibi ad hoc citat: ergo cum Sum-

Summus Pontifex, & Legislator supremus praecipiat in his dispensationibus, quod seruetur forma Concilij Tridentini, & in eo caueatur, quod matrimonium celebretur coram parcho, & testibus cum Decreto irritante, vt videmus, profecto aescio, quomodo aliter fieri possit.

Ablatiuus namque absolutus, prout esse ille, seruata forma Concilij Tridentini importat conditionem iuxta l. à restatore. & ibi notatur, ff. de condit. & demonstrat. est communis haec regula secund. las. in vrbica. ff. solut. matrim. in secunda lectura, num. 10. cum sequentibus, vbi late ampliat, & limitat. & Roland. à Valle *consil. 63. num. 3. lib. 4. Padill. in l. prima, num. 16. cum sequentibus,* & Becci. *consil. 39. numero 18. lib. 1. fol. 63. in fin. allegans alios,* & numero 19. quod conditio importat formam l. qui heredi. & Mensu. ff. de condit. & demonstrat. Quibus sic stantibus, non video quomodo praed. opin. singularis contraria tam periculosa persuaderi possit, quare eam proliis improbo.

Circa aliam opin. eiusdem Thom. Sanchez *vbi supra, numero 14.*

Dum censet, & dicit, matrimonium illud quod propter impedimentum occultum nullum fuit; post se reualidare copula maritali inter coniuges habita: sicut reualidatur nono consensu occulto, vt ibi niritur probare dicens sic docere Enriquez, *lib. 11. de matrim. cap. 3. numero 6. & cap. 9. ad fin. in commento litera A.* & Emanuel Rodrig. *in primo tom. sua Summa in secunda editione, cap. 220. numero 2.* & Ludou. Lopez *in secunda parte Instructor. de matrim. cap. 40. ad fin. & cap. 37. ad fin.* vbi etiam addit, reualidari quoque per traductionem solemnem ad domum, & diuturnam habitationem, quae signa sunt interni consensus, sicut ante Concilium per haec transibant sponitalia in matrimonio.

Sed & hanc opinionem suspicio quoque non esse veram, tum ex supradictis, tum etiam, quia Concilium Tridentinum casum comprehendit cum generaliter, & indistincte loquitur, tum, quia nec huiusmodi matrimonium nullum ex impedimento occulto verbis de praesenti conualescit, nisi coram parcho, & testibus iteretur, vt probauimus, tandem quia etiam stando in opinione contraria, quae est Sanchez, requiritur, secundum ipsum in *disputatione praecedenti, num. 3.* quod coniux sciens impedimentum occultum alterum coniugem certiorum eius faciat, ad hoc vt nouus consensus occultus reualidat atque ratificet matrimonium nullum, vel saltem, quod coniuges sciant impedimentum cessasse ad hoc, quod copula postea affectu maritali habita matrim. praecedens nullum conualidetur, vt ipsemet censuit *ibidem d. num. 3. in tertia conclusione,* & diximus supra, sed nihilominus, & tunc requiri praesentiam parochi, & testium contendimus, vt in terminis quoque d. cap. 1. qui sibi de sponsal. supra probauimus.

Et quamuis Auctores citati à Sanch. pro sua opinione videantur tenere, loquuntur tamen supposita declaratione clara, & formali Pij V. cuius supra meminimus, eiusque receptione in vtu, vt patet ex Ludou. Lop. *vbi supra, praecipue d. cap. 40. fol. 1073. col. 1. ibi,* nihilominus, qua caueatur, secundum Nauar. quod matrimonium nullum ob occultum impedimentum celebratum coram parcho, & testibus possit postea sublato impedimento, nouo consensu reualidari, sine parcho, & testibus, quod si ita est, nil mirum, vt idem sit dicendum, per copulam maritali animo habitam, sed vt praediximus, nobis non constat de praed. declaratione, sed potius contrarium ex visu sacri Praetorij poenitentiarie, & praeterea nos de *seruatiōe sponſalium, prima parte, cap. 51. numero 16.*

imo, probauimus, hodie attento Sacro Concilio Tridentino, nullo casu per traductionem ad domum sponitalia de futuro fieri matrimon. de praesentibus seruata omnino forma d. Decreti, quae de matrimonio clandestinis loquitur, quia eo attento, etiam interueniente cum effectu copula carnali, non transeunt in matrimonium de praesenti, igitur minus transibunt per traductionem ad domum, quacunque solennitate traductio fiat, nisi seruetur forma tradita à Sacro Concilio ad matrimonia contrahenda, & tamen Sanchez *vbi supra, in fin. d. numeri 14.* se remittit ad nos in hoc, in *supra d. cap. 51. numero 10.* ergo nostra sententia contra ipsum in supradictis, specie tenenda est, nempe in reualidando consensu matrimonij praecedentis nullo ob occultum impedimentum, quod non sufficiat copula, affectu coniugali habita, nec etiam nouus consensus, absque parcho, & testibus post Concil. Trident.

Circa primam limitationem eiusdem Auctoris, quam assignat in *d. disputatione 37. numero 10.* de qua supra concedimus matrimonium nullum ob occultum impedimentum, necessario repetendum esse coram parcho, & testibus, quoties parochus, & testes, vel alter eorum qui ei assistent, nouerint didit impedimentum. Caeterum ex superioribus idem probamus, etiam si id ignorarent: similiter idem facimus circa secundam limitationem eiusdem Auctoris numero 11, supra relata, nempe, vt indistincte, siue periculum, vt detegatur impedimentum occultum, & probetur, siue non sit, matrimonium iterandum sit coram parcho, & testibus, in vtroque enim casu militat ratio, & argumenta pro nostra priori principali sententia supra adducta.

Quod autem obicitur de scandalo futuro, & infamia ex publicatione coram parcho, & testibus, re vera reparari potest ex dictis in cap. praecedenti, nempe, quod cessante impedimento, confessorius consulatur, & is quidem suppressis nominibus contrahentium, & impedimento, impetret ab Ordinario loci licentiam, vt coram se, & testibus familiaribus, vel alijs confidentibus iterum contrahat, & praecedens matrimonium nullum ratificet: quod si contingat timeri, aut dubitari, an alter coniux ignarus impedimenti certior eius factus consentiet, tunc potest vti cautea Caeterani, & sequacium, iuncta hac nostra, quod consulatur confessorius, &c. adhuc vt nouus consensus pateat parcho, vel alij sacerdoti de Ordinarij licentia, & testibus, & emittet scandalum. Probo tamen opinionem Cordubae in *Summa quaestione 51. in versic. Tesse matrimonio,* & Bartholomaei à Ledesma *dubio 17. de matrim. fol. 1276 in fin.* quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *d. lib. 2. de matrimonio, disputatione 37. numero 13.* tenentium, hos, qui sublato impedimento clam reualidarunt matrimonium, non teneri Ecclesiae benedictiones ante reualidationem praemissas iterum recipere, quia semel receptae sunt nec possent sine scandalo reperi, nec sunt de matrimonij essentia, non tamen per hoc recedo à mea praemissa sententia, nempe quod iterum reualidetur matrimonium coram parcho, & testibus modo, & cautelis praedictis.

CAPITULUM XLVIII

Confessarius an teneatur admonere coniuges, quos no[n]it ex ignorantia inualidat matrimonium contraxisse?

SUMMARIUM.

- 1. Cap. quia circa de consanguinitate, & affinitate: & cap. cum iam dudum de prebend. concordia, & in rell. l. i.
2. Confessarius an, & quando teneatur admonere penitentem, oria ignorantia inuincibilis alicuius rei: & numeris sequentibus; ponuntur dua regule altera affirmatiua, & altera negatiua, cum suis declarationibus.
3. Ignorantia triplex est, affectata, supina, & sic vincibilis, & culpabilis, item & inuincibilis, qua excusat.

Pro huius quaestio[n]is decisione solet adduci casus textus in cap. quia circa, de consanguin. & affini. vbi consultus Innocentius III. de quibusdam, qui subreptitia dispensatione matrimonium contraxerant, sic respondet: Dissimulare poteris, vt remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione magnum videas scandalum imminere: cuius text. communis intellectus est ex glossa ibi in fine, & communiter DD. ibi, quod dissimulatio illa Pontificis dispensationem inducat, cuius ratione coniuges illi tui remanserunt in priori matrimonio, quod alias inualidum erat: neque obstat text. in cap. iam dudum de prebend. vbi probari videtur, dissimulationem Principis non inducere dispensationem, quia ibi Pontifex non dixit, esse dissimulandum, sed tantum impunitatem, ac factum tolerat, tunc namque coniugendo, non inducitur dispensatio, quia multa per patientiam tolerantur, que si deducta fuissent in iudicio, exigente iustitia, non deberent tolerari, vt inquit text. in d. cap. vi iam dudum in fine. At vero Summus Pontifex in d. cap. quia circa, de consanguin. & affini. respondendo dixit: talem dissimulare poteris, &c. quod est diuersum: ex quo communi intellectu ad illa iura deduci videtur in quaestione praemissa, de quo in titulo huius cap. confessarium omnino dissimulare debere, & non admonere coniuges de praedict. impedimento, & inualiditate matrimonij.

Hic tamen communis intellectus verus non est, ac proinde adduci non potest ad decisionem nostrae quaestio[n]is, vt recte ostendunt D. Couarru. in quarto de sponsal. 2. parte, cap. 6. §. 10. numero 15. & nouissime Thom. Sanchez lib. 2. de matrim. disputatio[n]e 38. numero 72. vbi similiter alios intellectus illorum iurium refert. atque improbat.

Verus igitur, ac legitimus sensus d. cap. quia circa, cum concordantibus, est: quod ibi coniuges bona fide existimabant se legitime coniugatos esse, & ex veritatis detectione timebatur graue scandalum, quapropter Summus Pontifex dicit tacendum, & dissimulandum esse, illosque in matrimonio illo putatio[n]e, & inuincibili ignorantia excusato, permitte[n]dos esse, ita illum text. intellexerunt Gofredus, quem referunt, & sequuntur Adrian. quolibet. 5. articulo secundo, littera E. vers. sic. sed circa hac dicit, Medina in suo C. de restitutione. tractatu secundo, de confessione dimdata reuerenda, vers. corollaria, sequitur Nauar. in cap. si quis autem, de penitentia, distinctione septima, a numero 67. vsque ad 75. & lib. primo consil. in prima editione de temporib. ordinand. consil. nono, numero primo, Couar. in 4. de sponsal. secundae parte, cap. 6. §. 70. numero 75.

Cordub. in sua Summa, quaestione 189. puncto primo, vers. a lo qual base. Aragon in Secunda Secunda D. Thom. quaestione 33 articulo 6. conclusio[n]e 3. quos sequitur Thomas Sanchez vbi supra, numero 12. vers. legitimus ergo sensus, &c.

Ex quo sequi videtur in specie nostrae quaestio[n]is, 2. quod si sit ignorantia inuincibilis facti, vel iuris humani, non vero Diuini, nec fit in damnum alicuius, & non est spes emendae, sed timor quod penitens scandalizetur. confessarius non teneatur eos coniuges admonere, alias teneatur, & in terminis ita tenet Adrianus vbi supra, littera E. vers. ad quaestio[n]em respondet. & articulo 4. quaestio[n]e 3. de confessione, dubio 7. & videtur tenere Nauar. in Manual. cap. 22. numero 83. & iterum vbi supra, numero 71. & Couar. etiam vbi supra, numero 15. & dicit hoc esse probabile Bartholomaeo a Ledesma de penitentia dubio 13.

Nihilominus tamen pro resolutione huius quaestio[n]is duae sunt constituendae regulae cum suis declarationibus: vna est affirmatiua, & altera negatiua.

Affirmatiua est: data ignorantia vincibilis, & culpabilis lethaliter, impedimentis dirimentis, cuiuscunque iuris, vel facti sit, non potest confessarius dissimulare, quamuis admonitio non sit profutura, & quodcunque scandalum poenitentis sequatur, ita tenent omnes teste Thom. Sanch. d. disputatio[n]e 38. numero 2. qui eam probat. & addit, teneri confessarium admonere in hac specie cum Soto in quarto, distinctione 18. quaestio[n]e 2. articulo 4. ad secundum, & Ledesma in secundam partem quarti, quaestio[n]e 8. articulo 4. dubio 8. Aragon vbi supra, conclusio[n]e 4. contra Medinam: & nonnulla obleruat Sanchez vbi supra numero 5. circa modum inuestigandi, an talis ignorantia sit culpabilis, vel non?

Ex procedit hac regula, etiam si ignorantia cuiuscunque iuris, aut facti inuincibilis sit, si spes probabilis adesse fore, vt monitio proficiat, sine graui scandalo, & detrimeto: in hac namque specie tenetur etiam confessarius admonere poenitentem, veluti, si non sit confessarius matrimonium esse nullum, & potest facile poenitens dispensationem impetrare, & credit adhibendam esse diligentiam ad eam impetrandam, nec est periculum, ut interim accedat ad vxorem sciens iam non esse suam, licet raro hoc contingat, cum dispensatio Summi Pontificis impetranda est, & longe distat Roma, quia saltem est periculum incontinentiae cum vxore dum impetratur dispensatio, ita tenet, & probat Thomas Sanchez vbi supra numero quinto, obleruans, quod in casu, quo tenetur confessarius admonere, non tenetur ante absolutionem, sed satis est post, nisi confessarius probabiliter credat, ante absolutionem profuturam monitionem, postea vero minime, vt tenent Metymna C. de confession. tractatu 2. in quaestio[n]e de confessione dimdata reuerend. Cordub. in sua Summa, quaest. 189. puncto secundo.

Secunda regula, & sic negatiua est, quod quoties ignorantia praedict. impedimenti est inuincibilis iuris humani, aut facti absque tertij praediuicio non tenetur confessarius admonere, nec quilibet alius, quando nulla inde speratur utilitas, quia sequetur perplexitas, vel scandalum ex separatione, vel difficultas, ita tenent omnes Doctores supra citati ante has regulas, & alij plures, quos refert, & sequitur late id probans, & exemplificans Thomas Sanchez lib. secundo de matrimonio, disputatio[n]e 36. numero sexto, vbi idem verum esse credit, non tantum vbi iam est contractum matrimonium, sed etiam ante illum contractum: C. numero septimo docet, quod imo tenetur confessarius tacere in casu huius regulae, ne sequantur inconuenientia praedicta, praebatque peccandi ansam his, qui in bono statu sunt secundum.

Adrian.

Adrian. Metymnam, Sotum, Canum, Angles, Nauar. & Cordub. quos refert, & numero octauo, cum Ledesma, Cordub. & Enriquez bene probat contra Sotum, quod in hac specie, coniungi neganti debetur ex alia causa existenti in praedict. specie inuincibili valoris matrimonij possit confessarius praecipere, vt debitum reddat.

Ampliat praefata regula negatiua, vt procedat, etiam si ignorantia illa sit circa ius Diuinum, & naturale, quia si confessarius probabiliter credat, consilium suum non profuturum, tenetur non admonere, quando ea ignorantia inuincibilis est, quia rationes praecedentes regulae aequae probant, siue ignorantia sit circa ius humanum, siue circa Diuinum, & in terminis ita tenent Ioannes a Metymna, Sotus, Cano, Ledesma, Enriquez, Bartholomaeo a Ledesma, Aragon, & Corduba, quos refert, & sequitur Sanchez vbi supra, numero 9. & hoc est probabiliter contra Adrian. Nauar. Couar. & Ledesma sumpra citatos ante dictam primam regulam rarius tamen dabitur ignorantia inuincibilis iuris Diuini, & naturalis, quam iuris humani, vel facti, praesertim circa praecipua Decalogi, in quibus ignorantia excusans non datur, quia lumine naturali nota sunt, vt cum communi sententia Doctorum, tenet Ludouic. Lopez in prima parte Instruct. conscientiae, cap. 3. pagina 12. in vers. an circa praecipua, & Vega lib. 4. sua Summa casu 260.

Ampliat & secundo praedict. regula negatiua, vt procedat, quamuis peccatum illud per ignorantiam inuincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi: verbi gratia, poenitens bona fide possidet primogenium, aliamque rem, quod confessarius nouit inuile possidere, & credit, nihil profuturam monitionem, quia est difficillimum relinquere illud: vel videt poenitentem teneri restituere, & ignorantia inuincibili excusari, monitumque non restituatur: tunc namque confessarius tenetur tacere, ita cum alius tenet, & probat Thomas Sanchez vbi supra, numero decimo, vbi cum Metymna idem probat, etiam si peccatum illud in proximi detrimentum sit continuatum, vt si quis exerceat viuras, laborans ignorantia inuincibili, quia alias consuluit, & videt confessarius, si monendo nihil profuturum, vt restituta equisita, nec, vt abstineat in futurum, tenetur namque tacere propter praefatas rationes: imo inquit ibi, praedict. omnia circa hanc regulam procedere, & vera esse, quando credit confessarius fore, vt poenitens libenter recipiat monitionem: at videt remedium esse difficillimum, vt si scandalum, & notabilis infamia inde sequantur: ex quo ipse infert ibi, numero undecimo, quod a fortiori, quando poenitens sub mortali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, vt confessarius credat, illum tunc caeco animo minime recepturum, & alia vice melius susceptrum, excusaturque ignorantia inuincibili poterit tunc tacere, & in opportunius tempore differre: Imo prudenter agere confessarios, dum non omnia ad que poenitens tenetur, simul, & prima vice aperiant, ne deterius omnino abstineat a confessione, sed paulatim debent eum docere, ad ea, quae tenentur.

Nunc vero dicta in hac regula negatiua limitantur, vt non procedant, quando poenitens dubius interrogaret confessarium, vel virum doctum de re illa, tunc namque tenetur ei veritatem aperire, quamuis veritatem non sit, quia iam conscientia poenitentis laesa est illo dubio, & taciturnitatem confessoris, vel viri docti prudenter posset poenitens in suum fauorem interpretari, quare taciturnitas illa esset erroris approbatio, vt eam Soto, & aliis quampluribus Theologis tenet Thom. Sanchez

d. lib. 2. de matrim. disputatio[n]e 38. numero 14. vbi quod aliqui ex his idem dicunt, si poenitens tanquam scrupulum, quo agitur id fallis fuerit: sed nihilominus verius esse, quando solus est scrupulus posse confessarium tacere, vel respondere, vt deponat scrupulum, quia scrupulus non infert bonam fidem, & ignorantiam inuincibilem, sed solum quando conscientia dubia est, ex sufficienti fundamento secundum Cordub. & Enriquez, Ego autem contrarium verius esse censeo, & probao, quia stante scrupulo, vere non cadit, nec datur ignorantia inuincibilis, siquidem ideo tunc consultitur confessarius, vel alius vir doctus, vt submoueat scrupulum, & consulentis conscientia quieta maneat, ergo consultus veritatem aperire debet, & tenetur consentiri, nec adimplet, dicendo, quod deponat scrupulum, si vera scrupulus veritati accedit, 1010 confessarius, vel vir doctus consultus, hoc respondendo, cum tamen verum sit impedimentum illud, & legitimum onerabit conscientiam suam scienter, licet exonerauerit conscientiam consulenti, & ita merito hanc nostram sententiam plures sequuntur, nempe Soto, Aragon, Bartholomaeo a Ledesma vbi supra, & praeterea Angles, & Ludouicus Lopez, Relata a Sanchez vbi supra, quamuis minus bene ab eorum iuris, & secuta sententia didicet sequutus priorem, quam modo retulimus.

Secundo limitantur, vt non procedant superius dicta circa praefatam regulam negatiua quando ex praed. ignorantia inuincibili timeatur malum boni communis, tunc namque tenetur confessarius aduocare, quia praefertur bonum commune priuato, ita Enriquez vbi supra, & Thomas Sanchez vbi supra, numero 13. vbi exemplificat, & idem esse dicit, si esset scandalum, publicaue fama nullitatis matrimonij, teneretur confessarius admonere, quia talis ignorantia est contra bonum commune, & Adrian, quodlibet. 5. articulo 2. littera I. & 4. quaestio[n]e quinta, de confessione dubio septimo, Zambran. Hispanen. in suis reuer. decisionibus, cap. 7. de matrimonio, dubio quarto, numero 3. pag. 349.

Tertio limitantur, nisi scandalum poenitenti sequutum ex admonitione momentaneum sit, & tunc praestabit, quod post absolutionem admonetur, ne turbatione gratis, & fructus sacramenti impediatur, ita cum aliis probat Sanchez vbi supra, numero 16. qui numero 17. & 18. alias duas limitationes quorundam refert, sed eas improbat. Sed quia actum est de ignorantia vincibili culpabili, & de ignorantia inuincibili, pro intelligentia necessaria, & praecisa iurisdiccionum, oportet scire, quae sit illa, item & haec.

In quo asserendum est, quod ignorantia triplex est in proposito, affectata, supina, & sic vincibilis, atque culpabilis, & inuincibilis, quae excusata.

Affectata ignorantia est, qua quis, quae tenetur scire, non vult, quo liberius sine mortis peccat, quae quidem solita est culpam augere, vt docet Ludouicus Lopez statim citandus, & Vega lib. 11. casu 365. & laetius lib. 5. casu 256.

Supina autem ignorantia est, qua quis ignorat id, quod communiter omnes sui ordinis, & conditionis homines sciunt, quae ignorantia etiam quae appellari solet, quae contingit per latam culpam, quae excusat a tanto, sed non a toto secundum Ludouic. Lopez in prima parte sui Instructio[n]is Conscientiae, cap. 136. pagina 207. columna 2. sed hanc non exculare non adhibentem debitam diligentiam, inquirendo, quod tenetur inquirere, probat text. in cap. penultimo, ad fin. & cap. final. 37. distinctione, & l. regula, §. sed facti: ibi verum eius, qui eam